

5. *Contradicentia.*

Angeli sunt boni, non sunt boni.

Angeli sunt immortales, non sunt immortales.

6. *Priuantia.*

Impietas priuatio est sanctitatis in malis angelis, Mendacium veritatis, Impuritas castitatis, Odium Dei amoris.

C O M P A R A T A.

1. *Paria.*

Angelus est par leuibus ventis.

Lucifer æqualis voluit Deo ipsi.

Tanto grauius lapsi sunt angeli, quanto eorum conditio fuerat excellentior.

Non minus fugiendi & timendi mali angeli, quam amandi & reuerendi boni.

2. *Maiora.*

Angeli alii aliis sunt excellentiores.

Deus ob superbiam angelos è cælo deturbauit, Ergo multo magis superbiam in homine castigabit.

Angeli boni summa veneratione Deum in cælis laudant & celebrant, Ergo multo magis homines.

3. *Minora.*

Creaturæ inferiores, vt bestix suo modo laudant & celebrant Deum: Ergo multo magis Angeli & homines.

4. *Similia.*

Angeli sunt veluti Oeconomi & dispensatores Dei.

Sicut Angeli boni inferuiunt homini: Ita homines vicissim Deo.

Sicut Reges suos habent præfides, quos Prouinciis & arcibus administrandis præficiunt: Ita boni angeli sunt Dei præfides, qui non solum singulis Regnis & Prouinciis; sed etiam piis hominibus tanquam fidelissimi gubernatores & præfides sunt addicti.

Item: Sicut Leo rugiens circumit ad deuorandas alias bestias: Ita mali angeli assidue circumcursitant ad decipiendum & illaqueandum homines.